

Q. D. O. M. B. V.

27

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

DE  
**NOXIIS QVIBVS DAM  
CIRCA MEDICAMENTA  
OFFICINALIA.**

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**GVLIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIÆ, JVLIAE, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ,  
WESTPHALIAE RELIQA,  
AVCTORATE ET CONSENSV GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
IN ALMA SALANA

PRÆSIDE

**HERM. FRIDER. TEICHMEYERO**

HÆREDITARIO IN CAMSDORFF ET WENIGEN-JENA,  
PHILOS. ET MED. DOCT. ANAT. CHIR. ET BOTAN. P. P. O. SERENISS. SAXON. DVCVM VINAR.  
ET ISENAC. CONSILIARIO AVL. ET ARCHIATRO, ACAD. NAT. CYRIOS. IMPERIAL.

LEOPOLD. CAROL. ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SODALI,

PATRONO PRÆCEPTORE ET HOSPITE PIE VENERANDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA MORE MAJORVM LEGITIME CAPESSENDI.

PVBLCÆ ERUDITORVM DISQUVISITIONI EXPOSIT

AVCTOR

**SIGISMVND. IACOB. HOCHSTETTERVS**

BVRGSTALLO WVRTEMBERG.

IN AUDITORIO MEDICO, HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS

AD DIEM XXXI. MAJI MDCCXXXIX.

JENÆ, LITTERIS CHRISTIAN. FRANC. BVCHII.

DISSESSATIO INAGARIAE MEDICI  
NOXIS QVADRADA  
CIRCA MUNDICAMENTA  
OFFICINALIA


DONATO  
GUILIELMO HENRICO  
HERM FRIEDR TECHEMERO  
PRO LICETATI  
SIGISMUND JACOB HOCHESTETTER

AD DILEM XXII MDCXXIX

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**JOANNI ANTONIO**  
DE SCHAFFGOTSCHE,  
S. R. I. COMITI,  
AC SEMPER LIBERO DE ET IN KYNAST,  
LIBERO BARONI IN TRACHENBERG, HÆREDITARIO  
DOMINO DYNASTIARUM GREIFFENSTEIN, KYNAST &c. &c.  
AUREI VELLERIS EQUITI.  
SACR. ROM. CÆS. REGIÆQUE CATHOLICÆ MAJESTATIS  
**CONSILIARIO ACTUALI INTIMO,**  
**CAMERARIO,**

IN DIETALIBUS PRÆSIDI ET SUPREMÆ REGLÆQUE  
PER UTRAMQUE SILESIAM CURIÆ DIRECTORI,  
NEC NON  
DUCATUM SCHWIDNICENSIS ET JAUROVIENSIS CAPITANEO,  
SUPREMO HÆREDITARIO AULÆ PRÆFECTO ET AULÆ  
JUDICI MERITISSIMO ETC. ETC.

COMITI, DOMINO AC MÆCE-  
NATI SUO GRATIOSISSIMO  
PERENNEM PROSPERITATEM.



ILLUSTISSIME ATQUE EXCELLENTISSIME,

S. R. I. COMES,

DOMINE MÆCENAS GRATIOSISSIME.



Nter Thesauros, quos Si-  
lesiorum montes Gigan-  
tēi in cryptis & penetra-  
libus suis affatim condunt,  
cardinales fere sunt aquæ  
nostræ thermales. Nam licet nihil splen-  
didius auro, nihil utilius ferro, nihil niti-  
dius adamante, quæ singula cum simili-

X 2 bus

bus in Sudetis reperiuntur ; nihil tamen  
salubrius Thermis nostris, quæ hic peren-  
ni flumine saliunt , aquamque soteriam  
dulci murmure ebulliunt. Vendicant si-  
bi Bajarum, Fabariensium, Aquisgranen-  
sium, Carolinarum, Tœplicensium, Lan-  
deccensium & quarum non? gloriam, &  
tantum non , dudum multum inclaruere,  
sed & adhuc annue secunda & semper re-  
pubescente experientia maximopere incla-  
rescunt. Cumulatur illarum fama, quod  
longo jam ab ævo Illustrissimos & Excel-  
lentissimos Comites, DOMINOS DOMI-  
NOS DE SCHAFFGOTSCHE, bellandi  
fandique potentes, tenuerint & adhuc te-  
neant Heros & Proprietarios ; quantos  
Codros! quantos Titos! quantos Numos!  
Quis tantis sub alis non belle vixerit?  
Quam lætè , quam tranquille, quam pro-  
spere hic fit vitam agitare, ego tenuis qui-  
dem, sed novissimus testis testatum facio.  
Paucis multa dicam: vivo mea sorte con-  
tentus

tentus, felix, beatus. Ast unde hæc for-  
tuna fors? Hujus post Deum teroptimum  
unice Clementissimum & Generosissimum  
**STEMMA SCHAFFGOTTSCHIANUM**  
Autorem agnosco. TIBI cumprimis IL-  
LUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME  
DOMINE COMES, res meas secun-  
das, tempora prospera & Gargara bono-  
rum deboeo. Per TE cœpit, per TE du-  
rat, per TE & tanto Patre dignas, gene-  
rosissimas mellitissimasque PROPAGINES,  
jam nunc arte & marte clarissimas, peren-  
nabit mea prosperitas. Hem! me feli-  
cem! quin felicissimum! nisi hæc fata læ-  
ta immerenter me tangerent & summæ  
TUÆ Benevolentiae, qua ceu clementis-  
simus Pater Patriæ in subditos & cives  
nunquam non abundas, solummodo ad-  
scribenda essent. Jam pridem quidem  
manifestas & chartaceas dare grates, ceu  
fert literatorum conditio, cordate moliti-  
tus sum; sed ut plurimum vanum & syl-

vestre meum scribendi genus hac de re me  
abarcuit. Nunc autem propositum hoc  
devinctum procrastinare nequeo. Acci-  
pe ergo ILLUSTRISSIME, EXCEL-  
LENTISSIME COMES, ET DOMI-  
NE GRATIOSISSIME protot faven-  
tiis in me indignissimum hactenus col-  
latis, has publicas & diu debitas gratias, è  
pio & sincerimo pectore depontas, &  
gratiouse permitte, quo schedulas sequen-  
tes de modo utendi & regimine in Thermis  
*Silesiorum Hirschbergensibus* observandis  
debita, qua possum, reverentia, humili-  
me inquam, in gremium TUUM depo-  
nam, NOMINIQUE TUO ILLU-  
STRISSIMO ET EXCELLENTIS-  
SIMO ceu gratitudinis alicujus tesseram  
subjectissime inscribam. Evidem non  
sum nescius, munus, quod offero, vile le-  
vissimumque esse, & quod tanto COMITI,  
tanto DOMINO, tanto MÆCENATI  
vix offerendum. Ast ne illud quidem i-  
gno-

gnoro, TE, ILLUSTRISSIME ET EX-  
CELLENTISSIME COMES tam  
in usitatæ Clementiæ & humanitatis ex-  
emplum prodere, ut, quod in gremium  
TUUM deposuerint demississimi clientes,  
id non tam conditione sui, quam eorum,  
qui posuerunt, pietate votoque metiaris.  
Quamobrem spero, fore, ut, quod pia de-  
bitaque ductus observantia exhibere ausus  
sum, id oculis gratiæ plenis, uti soles, a-  
spicias, præsertim cum inquilinasint, & the-  
sauros TUOS vernaculos atque Gargara  
Tua Patria attineant. Ego interim sum-  
MUM NUMEN continuis flagitabo suspiriis,  
ut TE, ILLUSTRISSIME ET EX-  
CELLENTISSIME COMES, Gene-  
rosissimumque TUUM STEMMA, pu-  
blico bono natum & datum in Reipublicæ  
ulterius emolumentum, Patriæ diutinum  
ornamentum, justitiæ momentosum ful-  
cimentum & clientum, inter quos & me  
imposterum gratiose respicias, exoptatum  
sola-

solatium, per plures annos sospitem & in-  
columem servare velit. Dum vitam lar-  
gietur divinum NUMEN, non desinam cœ-  
litus perennantem gloriam & gratiam di-  
vinam, quæ instar omnium est, appre-  
cari

ILLUSTRISSIME COMES,  
EXCELLENTIAE TUAE

Halæ Magdeburg. d. IX. Sept.  
An. R. S. 1739.

*obseruantissimus & subjectissimus*

*Cliens*

CHRISTIANUS BENED. SCHNEIDER.



Q. D. B. V.  
P R A E F A T I O.

**T**riplicem medendi methodus agnoscit fontem, Diateticum, Pharmaceuticum, Chirurgicum Pharmaceuticus, de quo res mihi jam esto, haud ultimum occupat locum, & in aliis, profecto & hic suo dignus est elogio. Dispescitur ille in partem Galenicam & Chemicam; utraque tantam ex suo loculo exhibit remediorum copiam, ut vastissimus medicamentorum sic dictorum officinalium exinde prostet campus. Quum vero secundum mentem b. CHRIST. LANGII in miscell. p. 145. tam agrotanium vita, quam medicina gloria & medentis fama in remediorum dextre paratorum sinceritate omnino atque certitudine consistat, & tamen circa hanc ipsam uberrimam supellecilem, teste experientia, variis modis exsurgent noxia concreta, haud immerito censura fontem hunc indigere reor, elogiijam supercedens. Occurrunt tot tantique circa remediorum præparationem errores, varii generis noxas post se trahentes, ut mirum sane sit, quod non crebrius tristiores eventus exinde contingant. Fit idcirco, quod haud raro medicus, artis suæ alias satis gnarus, conqueratur, si expectationi haud respondeant experimenta. Fit, ut sèpius medici, imprimis juniores, ob res toto genere sinistre cedentes in medendi perturbentur methodo, maximeque confusi redantur, ubi error hæreat, vel cur adeo rebellem morbus

A

fese

fese gerat, plane nescii. *Instructissimi enim*, sunt verba b.  
**BOHNII** in offic Med. dupl. *farragine medicamentorum pa-*  
*tentiorum accedimus infirmos, recedimus vacui & vani, non sine*  
*pudore, ac artis ipsiusmer vilipendio.* Adeoque res est haud  
 levioris momenti, imo in illa totus medendi cardo ver-  
 satur, certus ut fiat de iis, quæ ad debellandum, depel-  
 lendumque morbum in usum trahit, medicus Humanum  
 enim est, de quo luditur, corium, neutiquam lana capri-  
 ra, nullusque amplius restat dissensus, quin sanitas ho-  
 minis thesauros inter mundanos principem tueatur locum;  
 hinc laudatus **BOHNIVS** l.c. ait: *Investigatio ac preparatio re-*  
*mediorum perita præstantissimum ac desideratissimum est artis mo-*  
*mentum, & medendi artificium potissimum in eorum adparatu ad-*  
*equato consistit.* Hæcce perpendens, ego, quippe cui fon-  
 tem pharmaceuticum penitus paulo inspicere licuit, ope-  
 ræ pretium duxi, loco speciminis, quod inaugurale vo-  
 cant, & leges edere jubent, **NOXIA QVÆDAM CIRCA**  
**MEDICAMENTA OFFICINALIA** paulo pervestigatius in-  
 quirere, & pro quantuliscunque pertractare viribus. Pro-  
 testor de injuriandi animo, fidem enim Pharmacopæis ju-  
 ramento comparatam derogare nolo, loquor saltem ex-  
 perientia edocitus, odiosa tamen est veritas, odiosa sunt  
 exempla; interim vero largior, inveniri adhuc tales, in  
 quod non omnia & singula a me relata redundant. Ar-  
 dum foret & nimis prolixum, omnia, quæ circa hanc  
 materia monenda essent, eruere si conare, ne vero dis-  
 sertationis transgrediar limites, sat erit, ea tantum, quæ  
 maxime necessaria visa mihi sunt, delibasse, & feliciori-  
 bus ingeniis rem hanc arduam, & ad infirmorum salutem  
 quam maxime vergentem, ulterius pertractandi occasio-  
 nem dedisse. Faxit cœlistis archiater, ut cuncta in supre-  
 mi nominis sui gloriam, ægrotantiumque salutem cedant.  
 Tu vero, quisquis es, Lector Benevole! prima hæc &  
 levidensia studiorum meorum conamina & qualescum-  
 que ingenii foetus aqui bonique consule,  
 mihique fave.

DIS-

DISSERTATIO INAVGVRALIS  
DE  
NOXIIS QVIBVS DAM CIRCA MEDICAMENTA OFFICINALIA.

§. I.

**S**Vb medicamentorum officinalium nomine comprehendo omnia tam simplicia, quam composita, Galenica & que ac chemica, quæ in officinis pharmaceuticis quotidie prostant, & per longam experientiam probata, usibus medicis inserviunt. Opponuntur hæc medicamentis magistralibus, i. e. ejusmodi compositis, quæ ad indicationem præsentem specialem & individualem a medico ordinantur, nec antea in officinis ita mixta venalia extant; hinc & non inepte extemporanea salutari possent. *Noxium* dico omne id, quod non directe solum, verum etiam indirecte damnum inferre, statumque rei quounque modo deteriorem reddere valet.

§. 2.

Primum inter noxia ista locum tenet ipsa medicamentorum officinalium abundantia, quæ tanta & adeo diffusa est, ut artis profecto sit, ex insigni tali farragine, optima & pro scopo maxime idonea feligere. Objicies forsan, quod superflua non noceant. Sed tritum hoc ubi vis veritati consentaneum esse, tantum abest, ut potius noxam ex abundantia scaturientem in totas redundare resplicas hoc loco demonstrare in proclivi sit. Quotidiana in vulgus est de medicamentorum graviori pretio querimonia; pertimescit idcirco medici Recipe, vitaturque, præprimis a tenuioris fortunæ hominibus, cane pejus & angue, nec nisi spe decollata, & morte jam foras pulsante ad hanc anchoram decurritur, ast

A 2

fero

sero medicina paratur,  
 dum mala per longas invaluere moras;  
 quum medicum debito tempore præterire idem sit, ac pe-  
 nitus ipsum spernere. Quot quæsto propero passu adeunt  
 agyrtam, carnificem, pseudomedicos, aliosve varii ge-  
 neris temerarios empyricos, per leges publicas exturban-  
 dos, quibus extreum fortunarum suarum obolum una  
 cum vita committunt, solo nixi solatio, simplici ita sumtu-  
 rem peragi posse, cum medicum consultando duplex &  
 conditioni suæ impar requiratur impensa. Negliguntur re-  
 bus sic stantibus reipublicæ cives, fatisque cedere sœpissime  
 coguntur, qui tamen rationalis medici, ad primum  
 mox mali sensum accersiti auxilio, istis subripi satis adhuc  
 feliciter potuissent.

## §. 3.

*Premium medicamentorum officinalium ob iporum copiam*  
*maximopere adaugeri, nullus, accuratius paulo rem in-*  
*spiciens inficias ibit. Intret quis quæsto pharmacopolia,*  
*utpote medicorum promtuaria, obstupescet is fere de insigni*  
*vasorum copia, primo mox intuitu oculos feriente. Sed*  
*quid hæc pauca? tantum enim abest, hisce omnia includi*  
*cancellis, ut potius multæ adhuc cameræ supersint, ubi*  
*tot adhuc continentur medicamentorum tam simplicium*  
*quam compositorum centena, ut ipsemet sœpius possessor,*  
*quæ possideat, vel quæ non, ignoret. Et quid mirum?*  
*Cum hodie vix aliquot rerum millia ad officinæ rite consti-*  
*tutæ titulum impetrandum sufficiant. Omnia hæc num-*  
*morum ope pharmacapola acquisivit, omnia labore stipa-*  
*ta sunt. Alia inter hæc præ aliis feliciora in usum cedunt*  
*frequentius, alia rarius, rursus alia non nisi rarissime, quæ*  
*interim temporis successu corruptelam subeant, necesse est.*  
*Alia ut jam linquam, sint saltæ exempli loco herbæ, ra-*  
*dices, flores, semina, & aquæ destillatae simplices. Quot-*  
*annis recentia requiruntur hæcce, & non nisi labore,*  
*sumtibusque restituuntur, cum tamen vigesima vix pars*  
 prior

priori anno asservatorum in usum tracta fuerit. Omnia tandem eo tendunt, ut medicamentorum pretia ita adaugantur, ne pharmacopœus detrimentum ex suo capiat negotio, quamobrem ita res instituitur, ut minus usitata & corruptelam perpeſſa una sub magis usitatis persolvantur, ſicque unum alterum abſorbeat; cum potius omni cura eo tendendum eſſet, ut medicamenta, pauperibus & que ac ditionibus neceſſaria, minori obtineri poſſent fuſtu. Patet hinc, QVERCE TANVM, LUDOVICVM, BOHNIVM, aliosque cel viros haud abſque prægnanti ratione privatam medicamentorum præparationem & dispensationem, publicæ longe prætuliffe; hac enim ſtante unusquisque medicus pauca tantum ſelecta, ad praxin ſelectiorem neceſſaria præpare, inutilia vero ablegare, ſicque ea, quæ nunc in officinis publicis flunt per plures perſonas, ipſe ſolus perficere poſſet. Et quis quæſo non videt, hoc modo mille erroribus in tabernis iſtis quotidie fere evenientibus obicem ponи poſſe, imo ex præparatione propria artem ipsam ſemper maius adhuc incrementum capturam, adeoque medicos iſpos indies peritores evaſuros fore. Nonne pharmaca hujusmodi magis tuta, magisque genuina merito dilaudari poſſent. præ iſtis, in pharmacopoliis non ſemper ex charitate christiana ſed haud raro quaefuſtantum gratia paratis ſunt enim, quos parum refert, an a suis æger ſanetur præparatis, nec ne, ſolis mercibus diſtrahendis inhiantes. Hæcce ſunt emolumenta, tale eſt eſvamen evidentissimum, tale ſuntus compendium, quæ ex laudata dispensatione privata & in ægros iſpos, & in totas reſpublicas redunḍare poſſent.

## §. 4.

Culpa crescentis medicamentorum copia unice fere in medicos iſpos redundat; ſunt enim, qui tali farragine adeo delectantur, ut ſingulae iſtorum formulæ totis fere meriri queant ulnis. Immemores ſunt hujusmodi corraſores, di-cti iſtius Helmontiani, quod pauca ſint, quæ medicum nobis

litant, modo quis rectam iis utendi rationem cognitam & perspectam habeat. Cujus veritatem & ipsa confirmat experientia, cum felicissimi recentioris seculi practici in praxi sua selectiori, semota ingenti remediorum farragine, modico tantum istorum selectu rem omnem eventu satis fausto expediant. Hinc de medicamentorum studio diffuso ill. FR. HOFFMANNVS in præfat. ad Tom. III. Med. rat. System. ita scribit: Adeo increvit medicamentorum ex universo naturæ pena simplicium & compostorum, indigenorum & exotiorum, Galeniorum & chemicorum suppelleret, ut propter immensum fere numerum nec diligentissimus ad singulorum penitiorum cognitionem pertingere queat, primum vero artis opera tentans non possit non mirum turbari atque confundiri; & paulo post: sub tanta, ut prostat, medicaminum multitudine, medens ad veram singulorum notiam perveniet. & solidi quid in praxi prestat nunquam, sed potius una cum natura eximie turbabitur. Sunt, qui ex aca- demiis in patriam modo redeuntes & scientiam in arte sua divulgare gestientes, ad syllabum, quem ex materiae mediceæ collegio reportarunt, recurrunt, hinc conjiciunt, atque confarcinant res mirum in modum, modo hæc, modo illa, ita ut haud raro ægritudine ipsa molestius evadat medicamentum; saepius minime usitate desiderant, & au- toritatem adfæctantes Doctoralem, ea, quæ nondum in officina prostant, extemplo parare jubent, & præsertim nova insigniter crepant. Alii, emunctioris naris juvenes medici selectum quidem instituere melius norunt, habet tamen sua vñusquisque propria, prout hæc vel illa ipsorum præceptores plenis dilaudare buccis consuevere; placet enim huic cothurnus, illi sandalium, aliis pero vel ocrea.

## §. 5.

Nolo vero, ut quis me iis putet assentientem, qui omnia fere medicamenta exilio adficiunt, & præter paucorum pulverum, paucarumque guttularum exhibitionem, totum curationis negotiūm rationali mandant <sup>nīne</sup>, neutiquam enim id facere animus mihi est, sed, ut selectus tan-

tantum instituatur, minusque necessaria relegentur, sua-  
for sum, secundum b. ac ill. G. W. WEDELII mentem, qui  
in Amoen. mat. med. p. 41. ita ait: *Tanta est medicamento-  
rum copia, ut non tam de inventione amplius, seu accessione pluri-  
um, quam de imminutione seu selecta debeamus esse solliciti. Non  
tamen curta supellestili instructum esse oportet medicum, sed copia  
rerum, copia materie medicæ, ita ut non tam molem simul solam,  
quam virtutem estimemus, memores, plus valere unum granum  
piperis, quam centum grana papaveris. Selectus exercitus militi-  
bus confans robore corporis & animi præstantibus, præstat sepe co-  
piosis phalangibus.* Medium igitur tenuere beati; est enim  
modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citra-  
que nequit consistere rectum.

## §. 6.

Nec tamen copia jam præsente alii contenti esse vo-  
lunt, sunt enim, qui arrogantia medica adeo tenentur, ut  
ex mero nomen suum arque gloriam in diffusa quoque loca  
divulgandi pruritu, medicamentum novum excogitent, id-  
que titulo hyperbolico & suo nomine insigniunt, atque ad  
sydera usque attollunt, cum tamen re ipsa nil novi sit,  
nec præter titulum peculiare quid præ aliis jam satis in offi-  
ciniis præstantibus præstet, sed cum iis plane symbolizans  
& pari passu ambulans deprehendatur. Alii, nova qui-  
dem composita non parturientes, simplicibus tamen dele-  
ctantur novis exoticis, viresque specificas in iis quærunt,  
quorum tamen analytis adcurior itidem satis superque  
docet, ejusdem prorsus illa ipsa esse farinæ, ac multa alta,  
quorum ubertate officinæ jam satis turgent. Horum æqui-  
pollentia, imo validiora saepe præ foribus passim nobis na-  
scuntur, viribus integris, facilique pretio ubivis habenda,  
& vel colore tantum, figurave extus, intus vero parum aut  
nil differentia. Quid enim quæso in Balsamo Rankasyri,  
quid in Gummi Kikkunemalo, Corticibus Massaji, Put-  
siuk & Jujaba, Faba S. Ignatii, Herbis Paragrai Indica,  
& Sinica virtuosa, Radicibus Mungos, Ninsing, Anti-Py-  
retica

retica Indica , Oleis Casminatis , Cajeputi , Culilabani , Canang , Puirat , Terra Tanzuc Sinensium , aliisque novis quæris , quod non in aliis jam dudum usitatis abundanter delitescat ? Dandum est aliquid , air b. ac ill. G. W. WEDELIVS l. c p. 42. imo plurimum experientia , etiam seculorum effluxorum , unde nec veterum materiam sp̄ernere debemus vel vilipendere , modo selectum adhibeamus , selectum in materia ipsa , selectum in preparando , selectum in componendo , ita nitidam & sufficientem habebimus copiam . Patet igitur tria , quatuor , vel plura ista medicamentorum officinalium millia , absque artis salutaris mutilatione , & salva conscientia , ad decimam reduci posse partem . Ast piget reformationi huic diutius inhæxere , cum jam dudum b. ac cel. RIVINS in Dissertat. de censura medicamentorum officinalium , aliquie censores strenui , Augiæ hujus stabuli purgationem laudabiliter quidem , frustra ranen , & inertī conatu , exoptatoque successu neutiquam respondentē , suscepérint .

## §. 7.

Converto me jam ad noxia ex aliis fontibus scaturientia ; quorum ingens sane cohors . Profiscuntur alia ex negligētia , alia ex ignorātia , plurima ex avaritia , ceu Lerna nequitiae , fraudis , imo omnium malorum . Avaritia fons est , ex quo scaturiunt perditissimæ istæ substitutiones , quid pro quo dictæ ; detractiones ponderis pretiosorum , hujusque compensatio vilioribus facta ; selectus ad compositions minus utilium , viliorum , corruptorum ; comparatio & emtio exoricorum minus selectorum , sed infimæ fortis potius ; emtio præparatorum talium , quæ tamen ad genuina & minus fucata ipsa obtainenda propria elaborari manū & debuissent , & facili negotio potuissent ; asseratio vetustorum ; imo & sexcentæ adulterationes aliæ .

## §. 8.

Multi dantur pharmacopœi , qui asserationem rerum ultra durationis terminum extendunt ( §. 7. ) , & loco restitutio-

tionis annuæ, vel aliis statis temporibus necessariæ (aliorum enim vires ocyus, aliorum tardius paulo languescunt) retinent vetusta per annum alterum atque iterum alterum, imo sæpius per plura usque lustra, ipsaque, licet viribus spoliata sint penitus, in præparatione medicamentorum nihil feci in usum trahunt, adeoque pro bonis ac integris venditant. Duplicis hæc existunt generis, sunt enim vel talia, quibus nulla amplius superstes est virtus, quin potius prols effoeta atque emortua sint; vel talia, quæ non modo partibus laudabilibus plane destitura sunt, sed & horum loco peregrinas atque heterogeneas induerunt, adeoque revera in prava, & facultate nocendi pollentia satiscant.

Ad classem primam (§. 8.) permulta referenda essent, verum ne pagellæ hæc nimis intumescant, pauca tantum adferam. Exempli loco igitur sint Rad. Chinæ, Fœnic. Gialap. Ipecacuan. Hermodact. Poeon. Rhabarb. Sarsapar. Turpeth alb. Inter fructus: Jujuba, Sebestæ, Dactyli, Caricæ, siliq. dulc. Pittachia; porro semina calida aromaticæ, species aromatizatae, pulveres odorari, aliaque plura, tam abs Regno vegetabili quam animali fuggeta, quippe circa quæ talis (§. 8.) partium corruptio, perditioque præprimis occurrere solet. Officinalia medicamenta sunt vel indigena, a pharmacopœo ipso colligenda; vel exoticæ, ex mercatorum peregrinorum manibus comparanda. Indigena ut sint incorrupta, recentiave, quotannis ipsorum collectio severe urgenda est. Exoticorum ætas, quum a priori cognosci haud queat, a posteriori indaganda est, secundum qualitates nempe exteriores, quatenus istæ in sensus incurront. Neutquam vero semper characteres visibiles rerum perditionem manifestant, quin etiam toto genere sæpen numero deperditæ, viribusque orbæ res esse queant, absque eo, quod oculis suspecti quid se se prodat. Non defunt tamen criteria, quibus uniuscujusque rei qua-

litates discerni queunt, modo penitorem quis, perspectamque rerum cognitionem sibi acquisiverit; evolvi circa hanc rem possunt lexica pharmaceutica & scripta historiæ materiæ medicæ VALENTINI, POMETI, L'EMERY, DAHLII; nec non CASP. HOFFMAN. Tr. de Med. Offic. 1738. Lugd. Bat. editus.

§. 10.

Alteram ad classem (§ 8.) inter alia præprimis pertinent corpora partibus sulphureis vel explicitis vel, implicitis plus minus fœta. Sperma Ceti temporis successu rancorem naufragium cum colore flavescente induit, ubi tunc nvestigium quidem pristinæ virtutis amplius præbet, quin potius sal istud mitius, blandiusque resolvens sub pinguedine egregie demulcente conditum, in acre, irritans, naufragium, effectui desiderato plane contrarium fatiscat, & naturæ humanæ inimicum evadat, adeoque accersat magis mala, quam ayerruncet. Hujus quoque commatis sunt alia iisdem principiis gaudentia, ut Oleum Amygdal. dulc. similiaque ultra durationis terminum asservata. Egregie circa hanc rem cel. BOERHAAVE in instit. Chim. Tom. II. p. 84. Ita scribit: Sed quam notabile est in oleis hisce proprietas? quam cito, calore tantum 70. graduum tantum a pristina degenerescunt ingenio absque ulla omnino alieno admitione. Enimvero de crasso tenuerit. De blando acre. De dulci amarescens. De insipido fere rancidum. De albo flavescentis. De anodynō erodens. De laxante inflammandis. Omnes quidem haec mutationes satis cito ita continentur, paucis nempe diebus effuso calore. Ast quanta mutationes! Oleum amygdalinum recte linctu asperas Angina fauces pulcherrime mulcat. Oleum idem post paucos dies linctum ab homine sano integras ejusdem fauces subito inflammat. Quoque dulcior fuerat recte, eo acrius rancescens & veterascens. Hinc amygdala, nuces juglandes, Pistacia, quam tetra, postquam rancida, quam promittit Anginam provocantia ad guttur, quam facile febres excitantia, per incensas fauces, oesophagum, ventriculum, intestina. Dicite hic medici! in acutis dum suaderis usum salubrem amygdalini olei, curare, pressum sit de amygdalis non rancidis, ut recte pressum urens & Syro non sit nycthemero antiquius. Eundem etiam censum subeunt

subeunt Spec. Dia Tragac. Pulv. Haly contra Phthisin, Pulv. Anonymus; imo reor, b. cel. STAELEM ex solo hoc capitulo mina IV. frigida in praxi sua adhibere noluisse, quin eorumdem usum potius disuaserit, verens semper, ne rancore infecta recentibus substituantur in officinis, unde non posset non medicamentum minus salutare, sed nocendi facultate pollens evadere; id quod etiam de aliis hujus ratione seminibus, fructibusque valet.

## §. 11.

Huc etiam *externa* quædam referenda veniunt Axun-gia viderari recens in oculorum quibusdam adfectibus egregie demulcet, & ope salis mitioris latitantis blande detergit; vetustior evadit acris, rancida, & irritando, vellicandoque, tenuissimæ illi structuræ facile inflammatio-ne, adeoque auxiliï loco noxam infert. Unguenta, ut Ung. alb. camph. & simplex, Ung. Rosat. Ung. Infrigid. Gal. Ung. de Nihilo Olea cocta atque expresa, partim demulcendi, partim temperandi, partim emolliendi fine in usum trahuntur, verum nullus horum obtinetur effectus, fin. vetusta sint, & rancore imbuta, quin potius mediantibus partibus istis acribus in apricum producis fibras irritent, vellicent, stringant, statinque humoris subsistentis adaugeant.

## §. 12.

Inter multa alia, quæ facile noxiæ catastrophæ temporis successu subeunt, locum etiam habet *Tincta Mart. ydon.* egregium alias in morbis chronicis medicamentum aperiens, quæ vero, nisi recens, dulcis, blanda, lingam minus feriens, sit, nullo modo effectui expectato respondet, quin potius acida, adstringens, & plane aliis, imo nocivæ prorsus prosapiae evadat, & acore suo peregrino rem omnem in pejus vertere queat. Par ratio est *Tinctura marii pomariae.* Cum vero brevi temporis spatio hoc contingat, id agendum est, ut semper tantum, quantum ex vase desumitur, statim ex alio minore (quorum plura asservata sint repleta), restituatur, vitro enim semper replete permanente, integra quoque permanet Tinctura, & sine ulla virium jactura,

quod vero alias ob aerem, seu certissimum rerum corruptorem, accedentem, & motum intestinum facilius inferentem, haud fieret. Huc & pertinent *Eleo sacchara*, quæ, nisi itidem aeris accessus arceatur, facillime rancorem induunt, imprimis, si cum vitello ovi parata sint. *Flos Cassia* paucarum hebdomadum spatio accedit, ad quam quidem noxam avertendam pharmacopœi saccharum addi solent, ope cuius vero non potest non castratus, & expectatione inferior evadere.

## §. 13.

Corpora, quæ Regnum minerale suggesterit, in se quidem spectata catastrophen talem haud subeunt, neutiquam tamen hac censura exenta sunt eorundem *prepararia*, sic dicta *chimica*; hæc temporis decursu minus tuta evadere, extra omnem positum est negationis aleam. Ipsius testis sum emeseos gravioris a gr. X. Antim. diaph. vetustioris, in diversis subjectis excitatae. Dolis Tartari emet proventioris ætatis, nullis amplius certis includi potest cancellis, sed effectus edit dubios, incertos, graviores. Praestat hinc, tum ab hisce, tum ab aliis, v. g. Bezoardico min. Antiheretico Pot. Diaphoretico martiali, Regulo Antim. medicinali, Sulphure Antim. aurato, Turpetho minerali, aliisque hujus farinae vetustioribus prorsus abstinere. Mercurius vitæ, in se jam satis periculosum emeticum, in magis tale successu temporis faticere visus est.

## §. 14.

*Pravorum atque futilium in officinas ingressus* (§. 7.) modo pharmacopœi ipsius, modo mercatoris five aromatopolæ, a quo coëcta sunt, culpa fieri solet. Prius fir, quando istiusmodi homines, nimio lucri desiderio detentis, ob sordidam avaritiam, adulterata, corrupta, castrata, cassa, aliaque malæ notæ minori pretio sibi comparant, & pro sinceris ea venditando, turpe exin lucrum petunt. Posterius occurtere nonnunquam involuntario, inscioque pharmacopœo solet, cum res ab extra sèpius satis videantur integræ, ad penitiorum vero demum indagationem imposturæ

posturæ atque glaucomata mercatoris sese produnt, quæ oculis antea (§. 9.) penitus sese subduxerunt.

§. 15

Prius (§. 14.), quippe experientia fatis probatum, demonstratione ulteriori haud eget. Circa posterius permulta adferre possem, nisi brevitati studerem; sufficient paucæ exempla. Caryophilli raro ea, qua crescunt oleositate fœta, ad nos transportantur, plerumque enim vel in India, vel in ipsa Belgia olei maxima pars extrahitur, quo facto inertes isti redditu, bonis adhuc & genuinis iterum commiscentur, ut ab hisce & odorem & saporem rursus contrahant. Pariteriam fato atque injuria Cinamomum adficitur; nec quoque horum olea aliter quam fuso infecta, & maximopere adulterata ad nos deferuntur. id quod separatio artificiosa, & ad lancem chimicam curiose instituta fatis superque a posteriori monstrat, ubi tam in dictis, quam etiam in Macis, Nucistæ, & Ligni Rhodii oleis, dimidia plerumque pars Olei cuiusdam expressi ad pondus augendum, admixta deprehenditur. Aliorum calidiorum, & penetrantiori resina præditorum oleorum destillatorum adulterationem, adfusione olei Terebinth. Pini, similisve levioris nota perficiunt, quo in casu quidem fraus facile cognoscenda, difficulter vero vel plane non depuratio & separatio instituenda est. Fluit ex hisce regula: *olea aetherea in officinis, vel purificanda & separanda, vel si hoc rite praestari nequeat, propriam manu elaboranda esse.* Sunt tamen adhuc quædam olea peregrina, quibus præ nostris laus sua longè manet, nempe Ol. Citri, Aurantiaque, ergo ex Italia omnino ad nos deferenda sunt. Hoc adhuc monendum, omnia olea destillata ab acris, præser-tim calidi accessu, anxiæ arcenda esse, quia alias, uti expressa ad rancorem, ita illa ad Terebinthinatam naturam, facile & brevi tempore transitum faciunt; omnia vero Terebinthinae, sint vel per se, vel ob vetustatem, vel ob admixtionem talia, M. Sneam vehementer exigitant, & intensiorem cornoriæstum conciliant. Sin ab aliarum rerum officiis deturpata sint olea, pro istarum varietate etiam variam ista inde-

B 3

patium-

pariuntur virium jacturam, ita ut ab officinalibus istis oleis  
 æthereis non nisi rarissime salutares illi effectus expectandi  
 sint, quos verā, & farta testaque asservata alias edere solent.  
 Rhabarbari frusta carie exesa (§. 9) illiniunt istiusmodi im-  
 postores mistura quadam ochrea, quo obtinent, ut tum co-  
 lorem elegantem ruffum radix mentiarir, tum foraminula  
 cariosa in ipsorum superficie oculos alias ferientia oppilen-  
 tur, horumque aciem fugiant. Simile glaucoma inter alia  
 etiam præcipue Rad. Chinæ & Mechoac. alb. teredine con-  
 sumtæ patiuntur, hac tantum differentia, ut fuci color colo-  
 ri subiecti fucandi semper respondeat. Accedit, quod &  
 særissime Rhabarbaro vero Rhapontici; Mechoacannæ albæ  
 autem, Bryoniae frusta adjiciantur, & sic una cum iis pro ve-  
 ris venditentur. Gialappæ deceptores isti axinam refinæ  
 partem extrahunt, & sic bona rufus commiscent. Balsamum  
 de Copiva cum oleo amygdal. & nonnunquam cum  
 oleo Templini; Balsamum Peruvianum Styrace liquido ali-  
 isque officiis; Crocum Cnico; Mercurium vivum plumbo;  
 Mannam saccharo viliori, melle & amylo; Gummi Elemi  
 Thure communi & Terebinthina; Resinam Gialappæ Colo-  
 phonio; Spicam Indicam Spica gallica; Cortices Chinæ  
 variis peregrinis corticibus atque quisquiliis; Semen Santo-  
 nici femine Tanaci & Abrotani; Mercurium sublimatum  
 Arsenico; Cornu Cervi raspatum, rasura Cornu bovinis;  
 Oleum Nucistæ expressum sebo, medulla, butyro; Zibethum  
 itidem butyro; Moschum sanguine usto, muscera, pane  
 usto, Ladano, similibusque quisquiliis; Balsama de Mecha  
 & de Tolu Balfamo Copaiæ; Sarsparillæ fasciculos variis  
 intus quisquiliis adulterant. Usneæ humanæ muscum offi-  
 bus bovinis vel equinis adnatum succenturiant. Floribus  
 Sulphuris alii pulverem sulphuris crudi, alii vero, & qui-  
 dem iniquiores defraudatores farinam tinctam, terram ci-  
 trinam, arenam pulverisatam, aliave aliena pro pondere au-  
 gendo admiscent. Moscho & Zibetho inertibus evasis ni-  
 dorem pristinum ope fœoris latrinæ recuperare satagent.  
 Semini Petrosel. Maced. Semen Petrosel. ynlgaris, quod ta-  
 men

men priori virtutibus longe inferius est, substituunt. Pro Ambra grysea vera, Ambram s̄pē numero factitiam, ex Storace, Asa dulci, Succino, Ladano, Moscho, Zibetho, Ligno Aloë, farina oryzæ, gum. Tragac. &c. paratam, longe vero post principia stantem, venditant. Lapidibus cancrorum veris subjungunt vel succenturiant facutios, ex terra alba Belgica, vel pulvere tubulorum, quibus pro hauriendo tabaci fumo uti solent, artificiose paratos, & certo instrumento vel typo ita formatos, qui vero nullum largiuntur sal volatile, uti veri. Castoreum in re medica magnum habet nomen, & hancce laudem satis quoque tuetur, quicquid etiam nonnulli contra istud in medium adferant; dolendum modo, id ipsum tam raro verum & genuinum in officinis profare; vix enim credendum, quanta circa egregium hoc medicamentum occurrant glaucomata, atque officiarum artificia. Dantur adeo subtile & artificiofi defraudatores, qui miscela quadam ex Mumia, resina, gummi ammoniaco, Galbano, sanguine pulverisato, pinguedine & pulvere Castorei veri, aliisque parata, pelliculas Castoreo vero detractas adimplere, & aperturas ope Ichtiocollæ adeo curiose rursus conunire norunt, ut ne vestigium quidem harum remaneat; adeoque pro diversitate miscelæ Castoreum verum magis vel minus accurate imitantur, ut sape etiam emunctioris naris hominibus, & res satis bene alias judicantibus, minime fluctum videatur. Alias circa hoc subjectum occurrentes fraudulentias minus subtile & satis crassas, quippe facilius detegendas lubens prætereo, & sufficiat, eorum tantum fecisse mentionem, qui defraudandi artificium præ reliquis calent. Adponere hicad Castoreum verum & genuinum dignoscendum liceat Ottonis Cremonensis distichon, criteria Castorei boni eximie indigitans:

Gustibus exosum, grave, Castoreum pretiosum,  
nigrum, nervosum, simulatque recens glutinosum.  
Vocabulum *nervosum* in hisce præcipue differentiam præbet specificam, ubi nempe fibræ diversæ tendinosæ interius hinc inde sunt diductæ & intertextæ, id quod in Castoreo falso

falso & factitio nunquam deprehendere licet. Unicum hoc de Castoreo adhuc monendum: axungiam Caftoris, ne ax-  
ungiæ Caftorei malitiose substituatur, penitus ex officinis exterminandam esse. Sal Succini vix unquam purum vel non adulteratum obtinetur; sin a pulvere Succini, arena, oleo Succini, pendeat castratio, purificatio & secretio artifiosa facile locum habet; sin vero salibus peregrinis, v. g. sale culinari, sale ammoniaco, Cremore Tartari, saccharo Thomæo, similibusve, ad pondus augendum fœtum sit, ægre decens depuratio fieri poterit.

## §. 16

Ut igitur *exotica* integra sinceraque inferantur in officinas, nec fraudulentia pharmacopæi, nec aromatopolæ dolofutile quid irrepat, hoc opus, hic labor est. Visitationes solennes scopo huic haud velificantur. Mox ad primi exoticon in officinas ingressum res examinandæ sunt. Non igitur contemnendum est, quin potius laude dignum institutum istud quarundam rerum publicarum, ubi in officinis inventitia aperire, & promere condereque prius haud licet, quam medici ordinari ea omnia penitus perlustraverint, & an bonæ notæ sint, probe examinaverint; sed dolendum eheu! hosce sœpe adeo pusilla instructos esse rerum naturallium examinandarum cognitione, ut in iudicio de iis ferendo haud raro mirum in modum hallucinentur, atque turpiter se dent; sin vero medicus ad laudaram visitationem constitutus suo satisfaciat officio, & res non ab extra soluim spectans, sed parenchymata quoque ipsarum perscrutans, jucundum distinctivum de ipsis ferat, & minus apta rejiciat, non potest non magna exinde utilitas in rem medicam redundare.

## §. 17.

*Indigena* ut sint bonæ notæ, & qualitatis incorruptæ; similiter & composita, ut rite parata, bona atque sincera prostant, visitationes solennes quotannis instituendæ quodammodo officium faciunt. Verum, quantus proh dolor! abusus circa hoc quoq; negotium versatur, convenient plerumq; viri hunc

hunc ad actum constituti, consuetudinis tantum, sotrique gratia, nec non ad convivia celebranda. Memini quondam medicum talem visitantem a pharmacopoeo quæsitum, cur res examinando, soli visui, odoratuique insistat, cum tamen permulta ope gustus melius dijudicari possint? respondisse: fieri id, ne lingua peregrinis infecta saporibus, meri postmodum hauriendi, eduliorumque gustum perdat. En quæso laudabilem visitationis ejusmodi scopum! sed transeant hujus generis mercenarii, linquamus illos, & ponamus, medicum hoc in casu rite suo præesse muneri, tamen mira quanta restant deideranda, nunquam enim omnis in officinis penus, omnesque cameræ ob oculos ponuntur, quin potius res nauci pendendæ retineantur occultæ, anxieque a pharmacopœo latitentur.

## §. 18.

Ad *compositorum glaucomata* detegenda sæpe emunctioris naris virorum judicia vix atque vix quidem sufficiunt, hinc sæpiissime circa hæc soli pharmacopœorum integratæ inniti debemus, minimum apodiætice hunc vel illum dolum probare haud possumus. Generatim hic vituperandum est, quod vix unquam ingredientia bona notæ ad præparata atque composta impendantur, sed omni studio deperdita & viliora hunc ad scopum feligantur, cum tamen nullibi magis selectioribus opus sit, quam hic, ne totum compositum evadat mancum, vel prorsus nullius pretii. Agunt sæpiissime medicorum istiusmodi ministri, ac si ipsimet compositionum essent autores, addunt, detrahunt, substituunt, pro lubitu, itaque incertum reddunt medicamentum, quo inniti medicus neutrum valet.

## §. 19.

Circa *medicamentorum preparationem* pauca tantum adferam. Agmen ducat Mars, sive ferrum, cui tantus in re medica usus, ut ceu heroicum medicamentum multis aliis, quicquid nonnulli obganniant, palmarum præripiat, imo auctor dicere, sine quo medicina manca foret. Varnis odis Mars in usus medicos cedit, qualiscunque vero præparandi & adhibendi sit ratio, semper purus & genuinus requiritur.

C

Qua-

Quatenus iste est corpus solidissimum & pharmacopæi operam prorsus eludens, scobs istius, tive sic dicta limatura usui ad ulteriores præparationes inservit. Fabri ferrarii hanc venundant; ast quis nescit, ipsos eandem scopis convergere, quia inter limandum hinc inde siphatur, hoc autem modo variis illam ipsam inquinari quisquiliis. Ope ventilationis seu lotionis neutiquam satis pura evadit illa, sed multas adhuc commixtas retinet heterogeneas, aliorum metallorum, venereas nempe & aurichalceas particulas, partim ex ferruminatio-ne, partim alio modo irreptas; ob nauseabundum saporem, & vim, qua gaudent, emeticam, ventriculo haec parum inimicas. Id igitur agendum est, ut vel frustum chalybis boni subjiciatur tortura limæ, scobsque sic obtenta pura chartis substratis excipiatur, aut ab acuum confectoribus comparetur; vel fin limatura supra laudata heterogenea & quisquiliis reserta a fabro ferrario emta fuerit, ope admoti Lapidis Magnetis separatio homogenearum ab heterogeneis fiat, sicque Martis limatura ad omnem usum medicum pura atque secura reddatur. Tandem & observandum est, alcoolis-tionis fin hæc subjiciatur, id, ne denuo particulas æneas in suum recipiat finum, in ferreo peragendum esse mortario, neutiquam in aurichalceo.

## §. 20.

Hæcce (§. 19.) demortariis dicta ad aliorum *corporum durorum subtilisationem* me trahunt, qualia videlicet sunt Corallia utraque, Mat Perlar. Conchæ, Crystallus mont. alia-que hujus commatis. Solent hujusmodi corpora dura ordi-narie in mortariis aurichalceis in pulverem redigi, verum haud absque notabili virtutum alteratione & detimento; non potest enim non hoc labore virulentia quædam adfricari istis, id quod sapor nauseosus, quem talia duriora ab admis-tione particularum venerearum contrahunt, imo emefis ipsa a posteriori sepe loquuntur. Ast vix vera causa medico in sensu recurrit, quin potius ad diætæ errorem, ad ægrotantis idiosyncrasiam, ad viscerum debilitatem, ad morbi proterviā, ad naturæ motus symptomaticos criticosve, & ad nihil non refugiat, cum tamen, labores officinales, pyxi-desque

desque penitus paulo, & curiosius si inspicerentur, vera plerumque causa in iis, remedisque ipsis deprehendetur erroneis. Verum non in adeo duris solum, sed etiam in corporibus paulo minus coherentibus, quae non tam contusione vehementiori, quam tritura potius leviori levigantur, v. g. Lap. Cancr. C. C. usq. Testis ovorum, similibusque, tale quid deprehendere licet; quippe quae ob trituram itam a metallo colorem induunt magis vel minus cinereum, manifesto indicio, in simum suum ista recepisse particulas alias heterogenes ipsis haud congruas. Ex hisce ita se habet tibus, ut firmo stant talo, fluit porosina: praestare ad quamplurimos, ino ad omnes labores, in quibus mortario opus est, ferrea pra aurichalceis, aures aequac oculos feriendo magnis ad splendorem, quam ad utilitatem facientibus.

Circa *trituracionis negotium* alius adhuc occurrit error, in eo nempe consistens, quod multa non sufficenter subtilisentur, ita ut plus noxae quam emolumenti exinde observetur. Sint exempli loco Cinnabaris, Crystallus montana, aliique lapides sub pretiosorum nomine in officinis superbientes, item Tutia, &c. Cinnabaris, gravissimum corpus, nisi in pollenti tenuissimum redigatur, & tantum ad gradum subtilisetur, ut ad radiorum solis accessum nullae amplius adpareant particulae micantes, proprio pondere ventriculi plicis & villis sese insinuando julso diutius ibi subsistit, &, desideratum effetum ut edat, tantum abeat, ut potius irritando & porulos hinc inde obstruendo noxia magis evadat. Simili modo series habet circa lapides laudatos duriores, imprimis Crystal lum monte ubi tertium adhuc incommodum accedit, incunactio nempe spicularum istarum acutarum, vi cuius non possunt non spasm, tortina, aliaque symptomata exsurgere. Tutia in collyriis principem ut plurimum locum tenet; nota est paroemia: non patitur lysum fama, fides, oculus; hujus enim structura summæ est teneritudinis, quæ non amat nisi similia. summe nempe subtilia; quin itaque in Alcohol redacta sit Tutia, non potest non structuræ huic omnium subtilissime lœsionem magis accersere, quam averruncare,

hincque affectus in deterius ruere; id quod etiam de lapidis Calaminaris, scissilis, similiunque hunc in usum trahi solitorum inconveniente adhibitione valet. In simplicium pulverisatione peccatum etiam mos est, quod vix unquam res bonae notae ad hoc opus impendantur, nec non justo majori pulverisentur quantitate, cum tamen plurima pulverisata brevi temporis decursu mutationem in deterius subeant, & partes laudabiles facile dimittant. Quæ ulterius circa triturationis negotium commituntur fraudes, ubi partim ad molem augendam, partim ad colorem exaltandum, Rhabarbarum & China de China cum amygdalis dulcibus, alia cum aliis conteruntur, dosin minimum reddunt incertam.

## §. 22.

Noxæ, quas vasa ænea & aurichalcea siccioribus inter pulverisandum conciliant (§. 19. 20.), multo magis a liquidis acribus & acidis, quorum coctio in ejusmodi ahenis, lebetibusve instituitur, contrahuntur. Quid enim tunc solutio- ni partium venearum obstat, cum acidum istarum genuinum sit menstruum? & certe haud raro tanta earum facta est solutio, ut etiam sapor nauseabundus, ipsique vomitus eas satis a posteriori manifestent. Hinc fit, quod saepius medicamenta alias innocentissima, manifesta nocendi facultate polleant (§. 20.), qualem censem subeunt syrapi acidi, ut acetosæ, acetosellæ, granatorum, de agresta, acetosit citri, berberum, ribium; oxymel & simplex, & squillit. pulpa ta marindorum; imo syrups rosar. solut. haud raro hanc ob causam in tenerioribus emeticus visus est. Nonne sordidissima est avaritia, rem ad ægri salutem vergentem neglige, quæ tamen paucis expediri possit grossis, obductio- nem scilicet vasorum ænorum stanno instituendam, quæ sa- tis impedit, quo minus ventriculo obesse possit medicamen- tum coctione in ipsis paratum. Talia urgere medico inter- est; non sufficit enim, scripsisse formulas, de cætero vero famam suam, ægrotantiumque salutem relinquere fidei pharmacopæi, quæ tamen perpusilla haud raro esse solet.

## §. 23.

Fugiuntur sape medicamenta cœu noxia, quæ tamen non

non nisi ob *ineptam præparationem* talia evadunt. Aloën dif-  
famant nonnulli, ceu nimis calidam, acrem, irritantem;  
hæmorrhoides, tormina, spasmos post se relinquentem;  
adeoque usui tuto minus ancillantem, cum tamen sinistri  
& incongrui, quos edit effectus, solum a neglecta præpa-  
ratione propullulent; desideratur ad usum medicum quam-  
plurimum lota, per menstruum aqueum soluta, gummiosa,  
blanda, partibus acribus, resinosis, ventriculo minus con-  
gruis, & præcipuum tenesmi illius hæmorrhoidalis aucto-  
rem constituentibus orba; quæ vero præparatio non nisi  
rarissime in officinis peragitur, ubi semper Aloë cruda, sibi  
relicta, depurata substituitur, adeoque & æger & medicus  
decipiuntur. Simili modo Antihecticum Pot. Mercurius  
dulcis, aliaque plura, non nisi ob præparationem non rite  
peractam nonnunquam minus tuta evadere solent. De  
Antihectici Pot. & Mercurii dulc. genuina præparatione  
vid. ILL. & MAGNIF. D. PRÆSIDIS *Institut. Chemie* pag. 166. & 147.

## §. 24.

Liquor C. C. succinatus heroicum sane medicamen-  
tum præbet, quicquid osores obganniant, modo rite para-  
tus sit, quod vero sordidam ob avaritiam rarius contingit;  
requiritur enim salis succini ceu acidi tantum, quantum ad  
salis volatilis C. C. ceu alcalici punctum saturationis obtri-  
nendum sufficit. Nisi igitur hoc rite observetur, neutri-  
quam liquor medius laudabilis, sed alcalicus magis, & hu-  
mores fortius exagitans, obtinetur. Sola etiam sinistra præ-  
paratio in culpa est, quod liquor hic a multis ægris, im-  
primis paulo delicioribus, aversetur; si enim utrum-  
que sal oleo suo graveolente foetido expers, & purum  
hunc in usum traheretur, non posset non medicamentum  
magis commendabile, & gustui minus exosum consurgere.  
Arcanum Tartari, laudatissimum præberet in rebellioribus  
morbis remedium, fin, uti est artis, in officinis semper præ-  
pararetur; sed & hoc raro contingit; genuinum istud pa-  
randi modum ILL. & MAGNIF. PRÆSES egregie docuit in Spe-  
ciali Dissertat. *Arcano Tartari, sive Sale Essentiali Vini*, An.  
1730. edita. *Essentias Succini, Myrræ, & Mastichis pa-*  
*randi,*

randi, varii sunt modi, quos inter communissimus est ille, ubi cum sale alcalico peragitur extractio, cui ad internos quidem usus locus est, haud vero externe, ad ulcera & vulnera. Hinc laudata preparatio vel plane non admittenda, vel alia quoque ad externos usus instituenda, & seorsim hæc essentia asservanda est.

## §. 25.

Syrupus flor. Tunic. sola infusione parari debet; dulcis ergo est, cum caryophilli aromatici petiolæ inclusi ad odorem saporemque exaltando addantur; est enim hujus syrapi usus nonnunquam in talibus casibus, ubi minima calefacientia congestionem atque nocivam exagitationem M. Sez inferre valent. Syrupus fl. violarum per infusionem rite paratus egregie lenit atque demulcit; contrario vero modo se res habet, si per infusionem ex floribus Cyani & radice ireos florent, imitatur Penitus infamis ad usus internos est ille, qui ex Lacca musica, & radice ireos florent paratur; prater colorem enim nil veri analogon habet, quin potius nocivi quid ex materia ista tinctoria in sinu suo gerat.

## §. 26.

Etiam circa aquarum destillationem quædam monenda veniunt. Aqua fl. rosar. principem fere locum tenet in collyriis, cum vero oculorum structura tenerima, vetet acria, salsa, quippe a quibus potius noxam quam emolumentum trahit, facile patet, ablegandam aquam rosarum ex floribus sale conditis prolectam, & istius loco ex recentibus destillatam ad hosce usus introducendam esse. Aqua cerasor. nigræ ex nucleis perficor amygdalis amaris, vel horum tantum magmate ab expressione olei reliquo, parari solet, non æquipollit virtutibus aquæ cerasorum veræ, hæc enim præ ita multo magis temperans est. De cætero, vegetantia non omnia promiscue eundem destillandi modum admittunt, alia enim macerationem, digestionemque magis vel minus postulant; alia statim post collectionem, absque digestione prægressa destillari amant, alia vero plane nullas communicant aquæ per destillationem prolectæ, irritantes, contra vero decotioni magis vel minus fortiori instiuentæ.

stituenda aptiora existunt, quodvis pro partium constituerunt textura & modulo. In utramque partem quotidie pectatur ; omnia saepe eodem plane modo, apta & que ac inserta pari fato adficiuntur, absque ullo habitu circumstantiarum respectu. Quot quoero destillationi subjiciuntur subiecta, saltem ad farraginem in officinis adargendam, & in quibus vix granulum virtutis specificæ detegendum, quippe quæ in fixioribus tantum consistit partibus, quæ coctionis fervore elevari non valent, adeoque ad transcendendum alembicum minime aptis.

## §. 27.

Progedior a simplici ad aliam destillationem, majori opera, & vehementiore Vulcani auxilio peragendam, *spiritus Tartari* scilicet. Citra ullum est dissensum, salia media naturæ humanæ admodum esse amica, ita ut *GALENVS* ipse suo jam tempore ista balsami naturalis titulo insigniverit. Multo magis prædicatum hoc valet de spiritu Tartari, quippe medio non solum, sed & manifesto balsamico, si integer atque genuinus ille sit, quod vero rara avis est. In paucis officinis propria elaboratur manu, sed ab aliis fide minime dignis is ipse saepe comparatur. Obtinetur sic minori quidem sumtu, magis vero adulteratus, imo saepe tantopere defraudatus, ut vix analogiam ab extra cum spiritu Tartari vero habeat. Adfundunt enim istiusmodi impostores spiritui huic largissima manu vinum vilius, imo saepe aquam ipsam, usque dum enormiter dilutus redditus fuerit. Magis infames sunt ii, qui mixtum plane peregrinum pro spiritu Tartari venditant; agitant scilicet spiritum C. C. cum oleo foetido Tartari satis diu hinc inde, putantes, istum hoc modo pristinum odorem atque indolem exuturum, & novam in sinum suum recepturum fore, hinc decantato rursus ab oleo spiritui, aquæ vel vini vilioris largam quantitatem, pro ulteriori dilutione admiscunt. Sunt inter pharmacopæos, qui charybdin vitare gestientes in scyllam incident : ad genuinum nempe spiritum Tartari obtinendum, destillationem ipsimet quidem instituunt, verum cum ob sordidissimam avaritiam (§ 7.) vix unquam contenti sunt iis, quæ natura ipsa in res posuit, ipsorum

rum famuli ipsimet defraudatores evadunt, dum ad contentionem declinandam, avaritiæque magistrorum satisfaciendum tantum vini vel aquæ adfundunt, ut pondus desideratum adimpleatur.

## §. 28.

Modo dictum (§ 27.) stratagema famulorum pharmaceuticorum sæpiissime, & præsertim quoque circa oleorum ætherorum aëillationem occurrit, ubi res plane alieni moris redduntur, quibus inniti medicus nullatenus potest. Nil profecto intolerabilius est jactitatione illa, ubi ad compositorum integratatem defendendam manu propria fœse ipsa elaborasse pharmacopæi contendunt, cum tamen sæpen numero multo minor iisdem sit fides, quam ab extra allatis. Quid quæso sæpe oleum chamomillæ propria manu elaboratum, & de cuius integritate atque colore cœruleo elegantissimo tantopere gloriari solent, aliud est, quam oleum petræ super floribus chamomillæ abstractum? hinc sæpiissime id ipsum, quod (§. 15.) de oleis peregrinis dictum est, de propria etiam eorum elaboratione valet; ubique enim desideratur rerum copia, quomodo vero producta fœse habeant, an bona sint, an ve mala, proh dolor! haud curatur. Qualia quæso incomparabilia obtineri possent medicamenta, sin lege artis, prudenter, diligenterque ea præparentur, si que mens esset, ægri saluti magis, quam marsupio implendo velificari. Exempli loco, & instar omnium esse potest oleum bacc. juniperi, quippe quod præstantissimos edere posset effectus, modo genuinum, & absque olei templini vel pini admistione obtainendum esset, quod vero rarissime, si unquam fit; id quod ex viliori ipsius pretio patet; examen enim chemicum satis superque monstrat, non tantum hisce baccis inesse olei quantitatem, ut divendi tali vili pretio possit. Ulteriori exemplorum illustratione supersedeo.

## §. 29.

Præcipue in *prescriptione remediorum pretiosorum* parce ut agat medicus, necesse est; & quum firmo stet talo, majus illa ipsa emolumentum pharmacopæi marsupio adferre, quam ægrotantis corpori, ea, quantum potis est, fugiantur. Sin

Sin vero æger absolute decipi, nec ullum fere, nisi auro &  
 gemmis superbiens medicamentum pro efficaci habere velit,  
 descendere in ipsius desiderium medicus facile poterit The-  
 sin itam minus preiiosa sæpenumero palmam præcipere pre-  
 ciosissimis, callent, & defendunt quoque pharmacopæi, &  
 hanc ob cautam, si litera scripta lapidem Bezoar orienta-  
 lem desiderat, ii occidentalem; sin nargaritas, ii matrem  
 perlarum; sin pulverem Bezoard Senn ii alium minoris pre-  
 tii; sin Essentiam dulcem Hall ii Tineturam Coralliorum;  
 sin gemmas, ii lapides cancr. vel crystallum montanam; sin  
 spiritum, & sal vol viperarum, unguilar alces, vel cranii  
 humani, ii spiritum & sal vol C. C; sin osia de corde cervi,  
 ii C. C. philos. &c extemplo succenturiant, adeoque impen-  
 sis parcent, interim tamen nihil feciit ita rerum pretia ex-  
 poscunt, ac si quam accuratissime secundum præscriptionem  
 parata fuissent remedia. Nec in detractione & substitu-  
 tione solum, verum etiam in diligentí dispensatione & ipsa præ-  
 paratione peccant, ita ut haud raro æger medicamentum  
 adsumat futile proutili; quod præprimis fit, quando v. g. bre-  
 vitati studentes decoquunt, quæ per infusionem tantum pa-  
 rari debuissent, vel decocta ipsa non lege artis parant, omnia  
 statim promiscue conjiciendo, & in vase aperto laborem su-  
 scipiendo, unde non possunt non partes præstantiores vola-  
 tiles certo certius in auras avolare, cum ipsarum cum reliquis  
 cohaesio ebullitionis calori ferendo minime par sit, adeoque  
 præter partes terrestres nil remaneat. Non vero volatilia  
 solum, sed alia quoque coctionem renuant. Exempli loco  
 sint folia sennæ, quæ coquendo lentorem nimium edunt, me-  
 diante quo molestias sæpe ipsorum brodium ventriculo atque  
 intestinæ infert, quamobrem infusione saltem id parandum,  
 vel sin coctione paratum fuerit, haud fortiter id exprimen-  
 dum, quo modo molestia illæ quadantenus præcaveri pos-  
 sunt, nisi folia sennæ frustulosa, stipitibus referta & minus  
 selecta hunc in usum recepta fuerint, quippe quæ minus pur-  
 gant, ventriculo veronegotium facessunt, & flatulentias  
 inferunt.

§. 30.

*Palato quoque dandum est aliquid, adeoque præprimis etiam gratia medicamentorum urgenda venit, ne sapore, odore, re graveia (§. 24.), ægrisque exosa evadant. Censum hunc inter alia subit Mixtura ista, simplex quidem salutata, revera vero magni & multiplicis usus, & qui profecto magis egregius adhuc foret, si Spiritus Vitrioli ad istam sumeretur sulphureus, qualis ab inventore hujus medicinæ, chimicorum parente PARACELSO, hunc in finem requiritur; quod vero rarissime, si unquam, sit, cum paucissimi partes volatiles Vitrioli in apricum producere & rite separare norint. Dantur ægri, qui aversantur hoc medicamentum, ubi plerumque ratio illico ex idiosyncrasia peti solet, verum haud inmerito reor, sèpenumero ipsius odorem, saporemque gravem in culpa esse, quæ vero qualitas exosa & nauseosa soluummodo a spiritu Tartari proficiscitur. Lubens quidem fateor, absque virium jactura nunquam penitus auferri posse qualitatem istam sulphuream, quæ spiritum laudatum ingrato illo foetore inficit; interim tamen ex parte fieri id potest, modo Tartarus hunc ad laborem recipiatur purus, lotus, rhenanus, vel quod ex mente ZWÖLFFERI præstat, per crystallisationem depuratus & defecatus; sic enim quisquiliæ variae in eo hærentes separantur, & non potest non minus graveolens prodire spiritus; cuius dein gratia, rite peracta ab oleo fetido separatione, haud parum adaugetur. Fusius & ex instituto de Mixtura simplicie egit Cel. RVD. IAC. CAMERARIUS in Dissertat. an. 1723 habita. Penitus igitur ablegandus est mos ille, ubi nonnulli Tartarum istu feculentum & pulverulentum, quisquiliis permultis refertum, vulgo Floß dictum, ad spiritum Tartari parandum impendere solent; quo minus enim Tartarus est purus, & quo magis terrestris, amurcosus, pinguis, eo minorem spiritus quantitatatem edit, eoque vero largior olei fetidi pars in hunc resultat. Patet hinc, Tartarum ex vino albo palmam tenere, ex rubro vero natum stare post principia.*

§. 31.

*Quia ex duobus malis minus eligere præstat, semper pro-*

propria manu in officinis elaborata præferre longe velim iis, quæ a destillatoribus, fraudulentio admodum hominum genere, venundari solent. Quæcunque ab iis desideras, præsto sunt, & licet binas tantum lagenas secum circumvehant, tamen ex iis omnis generis spiritus acidos porrigitur. Ex unica tantum capsula promunt Sal absynthii, sal fumar. sal C. Ben. sal genistæ, & nullum non. Venum offerunt sal es-sentiale acetosellæ, cujus tamen uncia una ultra drachmas sex salis marini continet. Alias ipsorum fraudulentias jam prætero.

## §. 32.

Pervenio jam ad *falia plantarum per incinerationem parata*. Hæc in se & sua natura omnia sunt alcalicæ naturæ. Desiderantur a nonnullis crystallisata, cum tamen alcalicorum crystallatio pari prematur difficultate, ac æthyopis dealbatio; hinc ad scopum hunc obtinendum varia impenduntur artificia, unde non possunt non totidem fere saluum istorum ex-surgere differentiæ, quot sunt officinæ. Non quidem in se noxia evadunt per tales præparations istiusmodi salia, interim tamen nunquam certus esse potest de medicamenti effectu medicus, quia nescit an sal sit perfecte medium, vel ad hanc, vel ad illam indolem magis vergens. Præterea pertinent salia plantarum ad ea, quæ medicamentorum farraginem præter necessitatem adaugent, & quibus plerumque fal-va conscientia in officinis carere possemus; si enim unicum vel alterum tantum habeas, habebis fere omnia; minimum in illis non nisi difficilissime quidquid specificæ virtutis ex planta superstis demonstrare poteris.

## §. 33.

Medicamentorum officinalium farraginem ulterius ad-huc præter necessitatem, præterque utilitatem adaugent *fe-  
tue* & *magisterie*, quorum simplicia ipsis in suo genere evi-denter præpollent, cum per tales præparations ob elutriationem salium domesticorum non solum castrrentur, sed & pretiosiora reddantur ista.

## §. 34.

*Externa* vario quoque modo castrantur. Emplastris, ut  
D 2 Oxy-

Oxycroceo, Diachylo c. g. item de Galbano crocato Myns. crocus detrahitur, ipsiusque loco pulvis Curcumæ vel terra Orlean admiscetur, æque ac ingredetur crocus coloris saltem gratia Spiritui formicarum inepte spiritus Lumbri. terrest. substituitur; hic enim virtutibus isto, quippe partibus volatilibus acidis & egregie balsamicis gaudente, longe est inferior.

## §. 35.

Haud leves etiam occurrunt circa *vegetabilium collectionem* errores, medicis magis quam pharmacopœis imputandi, & ex neglecto studio botanico scaturientes. Asservantur enim sæpenumero, quæ sub hoc vel isto nomine a rhizotomis allata, laudataque fuere, licet toto genere a vero aberrent. Horum moderator medicus jure meritoque else deberet, qui vero saepè vel ipsem perpusilla instructus est scientia botanica, vel rem hanc ægre fert, inspectionemque officinarum plane negligit.

## §. 36.

Ad medelam rite peragendam multum etiam confert concinna & apta *formularum prescriptio*, ut scilicet nec contraria & se se invicem destruentia, nec inæqualiter semet amplexantia commisceantur, contra quod tamen præceptum multiplici modo peccari solet. Talibus erroribus fuisus inhaerere mihi non est volupe; iis saltem insisto medicamentis fluidis, in quibus præcipitatio partium principum præter spem medici contingit. Relinquit ita æger sedimentum, pro inutili istud habens, supernatantem vero liquorem solum adsumit, qui reliquorum tantum menstruum, vehiculumque constituit. Exempli loco sint mixturae ex effentiis & tincturis talibus, quarum altera aquoso, altera spirituoso parata est menstruo; vel ubi gummosa resinosis, salina spirituosis junguntur. Talibus inconcinne commixtis certo certius alterum alteri præcipitationem conciliabit. Ut igitur res amice se complectantur, nec disunionem rursus subeant, omnis impendenda est præcautio. Medico physico, leges hydrostaticas callenti, quicquid faciendum sit, facile in mentem recurret. Errori tali ut obuiam eatur, vid. cel. HAMBERGERI Elem.

Elem. Phys. (§ 229.) ubi, quid ad præcipitationem præcavendam, vel ista iamjam facta, ad perfectam rursus unionem præstandam, agendum sit, regula datur.

## §. 37.

Manca saepe medicamenta redduntur ex *insufficienti partium constitutivarum cognitione* (§. 26.), quando nempe menstrua non satis apta, scopoque minus ancillantia, pro essentiarum extractione adhibentur; hinc saepius fit, ut Tincturæ & Essentiæ tantum partem quandam essentialiem subjecti contineant, reliqua vero pars una cum magmate rejiciatur. Spiritus vini ipse non omnis omnia recludit. Loquitur id aperte Tinctura Gialap. Turpethi vegetabilis &c. Hæ spiritu vini rectificatissimo paratae minus, cum simpliciter rectificato vero fortius purgant. Ubi itaque subjectum in sinu gerit meras partes inflammabiles, ibi alcohol; ubi vero salinæ una adfunt, ibi spiritus vini simplex officium facit; sic enim omnes, quæ desiderantur dotes, simul impletantur.

## §. 38.

Nec omittenda est cautela, quod nunquam concedi debeat, ut medicamenta in tabernis publicis parata, *absque signatura*, vel adnotato adhibendi modo ægris adportentur. Quot enim errores, quot tristes casus hac ex negligentia permanent, quotidiana proh dolor! loquitur experientia. Novi, binis in eadem domo decumbentibus ægris, emplastrum de meliloto viro applicatum, cui medicus vesicatorium in musculis gastronemiis suaserat, emplastrum vero cantharizatum matronæ, cui angina detentæ emplastrum de meliloto destinatum fuerat, subfemente hinc presso pede in hac per torius non solum colli, sed & capitis, imo thoracis peripheriam excoriatione. Alia matrona, ex lapidis iœtu, capitis vulnere febreque superveniente laborans, vehementissime discruciabatur, quum loco vasis, essentiam balsamicam pro vulneris tractatione paratam, continentis, aliud deprehenderetur, cui liquor fortis, mineralis, acidus, ad potum acidulandum destinatus inerat. Senex quidam sponsæ juvenculæ prima nocte debitum connubiale vegetius præstare

stare gestiens, aphrodisiacum validum sibi parare curat; eodem die pro viro alio juveni purgans paratur forte; uterque vesperi suum ex officina petit pharmacum; sed en errorum, minus quidem infastum, magis tamen ridiculum, effectusque a neutro horum expectatos. Senex enim & thorum & sponsam mirum in modum ex purgante adsumto per guttur tam superius quam inferius inungit; vir juvenis vero in se jam satis ad exercitium venereum vegetus, miris ulterius divexus stimulis. Uterque in caulam inquirens detegit, omnem in pharmacopœum ob neglectam lighaturam redundare culpam. Fœminam haud inferioris ordinis, mixturæ cosmeticæ hauitum, evidente cum valetudinis discriminè pro mixtura interna a medico celebri ordinata, per coloris identitatem deceptam, ingurgitasse memini. Centenos similes errores, similiaque fata adhuc adferre in proclivi esset, nisi pagellarum angustia id impediret; quam obrem plura lubens jam mitto.

## §. 39.

Tandem & haud abs re erit, coronidis loco dicere, nil magis erroribus in medicamentorum præparatione, æque ac dispensatione obstetricari, quam *neglectam* apud pharmacopœos, eorumque famulos, discipulosque *lingua latina culturam*. Cum enim omnia iis pro norma laborum data, hoc idiomate conscripta sint; ejusmodi vero homines haud raro legere hasce literas vix calleant, ne dicam intelligere; non possunt non frequentissimi, & sèpius gravissimi ex tali ignorantia errores profici; quorum itidem adferri haud pauca possent exempla, nisi odiosa ista forent. Hic rurus in medicos ipsos & præsertim in physicos ordinarios culpa redundat, quippe quibus vi officii incumbit, etiam hoc loco omnes præcavere errores, & nulli ad artea pharmaceuticam addiscenda concedere accessum, nisi sufficienter linguam hanc summe necessariam calleat.

## T A N T V M.

## E R R A T A .

Pag. 2. lin. 24. leg. quo<sup>s</sup>, lin. 31. leg. coelestis. Pag. 4 lin. 27. leg. pharmacopœa. Pag. 5. lin. 14. leg. præparare, lin. ult. leg. nobilitant.


01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3







27.

Q. D. O. M. B. V.  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**NOXIIS QVIBVS DAM**  
**CIRCA MEDICAMENTA**  
**OFFICINALIA.**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
**GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONÆ, JULIACI, CLIVÆ, MONTIVM, ANGARÆ,  
WESTPHALIAÆ RELIQVA,  
AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICE  
IN ALMA SALANA  
PRÆSIDE  
**HERM. FRIDER. TEICHMEYERO**  
HÆREDITARIO IN CAMSDORFF ET WENIGEN-JENA,  
PHILOS. ET MED. DOCT. ANAT. CHIR. ET BOTAN. P. P. O. SERENISS. SAXON. DVCVM VINAR.  
ET ISENAC. CONSILIARIO AVL. ET ARCHIATRO, ACAD. NAT. CVRIOS. IMPERIAL.  
LEOPOLD. CAROL. ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SODALI,  
PATRONO PRÆCEPTORE ET HOSPITE PIE VENERANDO  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA MORE MAJORVM LEGITIME CAPESSENDI  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPOSIT  
AVCTOR  
**SIGISMUND. IACOB. HOCHSTETTERVS**  
BVRGSTALLO WVRTTEMBERG.  
IN AVDITORIO MEDICO, HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS  
AD DIEM XXXI. MAJI MDCCXXXIX.  
**JENÆ, LITTERIS CHRISTIAN. FRANC. BVCHII.**